

V, 82.

2.417a



CVRIAM  
REGNITIANAM  
NON. NVLLO. IVRE  
HERMVNDVRORVM  
COGNOMINANDAM  
DISSERIT. XXXII

---

VT  
SERENISSIMO. PRINCIPI. AC. DOMINO  
DOMINO  
FRIDERICO. CHRISTIANO

BRANDENBVRGI. MARGGRAFIO. DVCI. PRVSSIAE  
RELIQVA

NVTRITORI. SVO. CLEMENTISSIMO

DE DIE

CHRISTIANO

SACRO

PROXIME REDITVRO

QVA. PAR. EST. PIETATE. GRATVLANTIBVS

QVORVM. QVOSDAM. RES. SVAE. CITIVS. HINC. AVOCANT

A. D. III. CAL. MAIAS. CIOCCCLXVII

BENEVOLE. ADSINT

QVI. CVRIANO. BENE. VOLVNT

PERQVAM. ROGAT

PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS



CVRIAE. REGNITIANAE

LITERIS. IOANNIS. ANDREAE. HETSCHELII



## Pensum II.

## AN AD ALIA FLVMINA?

## Index dictorum.

- |                              |                             |
|------------------------------|-----------------------------|
| §. I. An ad alia flumina?    | §. III. Ad <i>Albin</i> ?   |
| §. II. Ad <i>Werram</i> ?    | §. V. Ad <i>Catsbacum</i> ? |
| §. III. Ad <i>Wipperam</i> ? |                             |

## §. I.

Quo minus *Salarum* vllum 1.) fuit *flumen gignendo sale* 2.) *fecundum*, de quo *inter HERMVNDVROS Catosque fuit certatum magno proelio*; 3.) eo magis miraberis, fuisse, quibus alia flumina *vila*, quorum ne quidem omnia *salinas* habent adiacentes, 4.) sane *sale gignendo plane non fecunda ipsa*. 5.)

## §. II.

Cum *Catos* inter et HERMVNDVROS de *flumine sale gignendo secundo certatum fuit*; id videntur sibi quidam in *Werra* inuenisse. 1.) Ad hunc sita est *Salzunga*, 2.) cuius nomen iam prodit 3.) *salis*

- |   |  |
|---|--|
| 1.) Quorum recensum egimus priori penso.  | Moniment. Haslic. Part. I. N. II. p. 23.   |
| 2.) Vnde tamen <i>Salis</i> fluvii nomen natum fuisse, plerisque omnibus habetur.   | 2.) De qua Hennebergica vrbe in Geograph. Europ. Recent. Itiner. Lib. VII. Cap. V. agere, promissum fuit in eiusdem Lib. VI. Cap. V. p. 1213. sed frustra illa euolues. Ei tamen <i>salis</i> fontes tribuunt Zeillerus in Topograph. Saxon. Super. p. 164. Tromsdorffius in Geogr. Cap. III. p. 14. seq. Buschingius in Geogr. Part. III. Tom. II. p. 2561. alii. |
| 3.) Ex Tacito Annal. Lib. XIII. Cap. LVII. n. 7.  | 3.) Vt iam obseruauit Kirchmaierus de Bello Proelioque de <i>Salinis Catos</i> inter et <i>Hermunduros</i> suscepto §. X.  |
| 4.) Quod patebit post ea §. III. et V.  |  |
| 5.) Id vero §. II. et III.  |  |
| §. II. 1.) Eam sententiam inuenieris in Abellii Antiq. Teuton. Tom. I. Cap. I. p. 144. et Cap. II. §. XXIII. p. 428. item Schminkii Meditat. de Antiquitat. Salinarum Allendorfsium §. III. in eius filii |  |

salis copiam, 4.) Ad eundem fluuium, si pergas, sunt salinae *Allendorfinae* 5.) aliis longe vetustiores. 6.) Sint eae illud *Tut in soda* 7.) ab *Ottone II.* Imperatore coniugi suae *Theophaniae a. p. C. n. mccccxxiii.* concessae; 8.) non dum tamen inde est euictum, 9.) fuisse iam nongentos annos citius tam *fecundas*, 10.) vt de *iis Catto inter et HERMVNDVROS certaretur.* 11.) Sane enim *Cattis* haud exiguam terrae partem, quam eis plerique omnes tribuunt, detraheret, *HERMVNDVRIS*que adsignaret, qui *Werram* vtrique genti conterminum faceret, 12.)

## §. III.

*Wipperae* 1.) cornu 2.) vndat 3.) *Francohusae* 4.) haud ignobili *Thuringiae* vrbis *Ser. Principi Schwarzburgorudolphopolitano* subiectae.

X x 2

4.) Si vel §. II. prioris pensis confulas.  
5.) Satis celebratae Meriano in *Topogr. Hasf. p. 10. Geograph. Europ. Itiner. Recent. Lib. III. Cap. V. p. 555. seqq.*

6.) Quas agnoscit *Io. Herm. Schminckius de Antiq. Salin. Allendorfs. §. I. in filii Monim. Hasf. Part. I. Obseru. II. p. 20.*

7.) Ex eodem *Schminckio §. V. nota (d) p. 27. in modo citata Geogr. Europ. Itin. p. 556. in nota (\*\*)* optime per *zu den Soden* ad genium nostri seculi translatum. Certe inde traxit *Allendorfsium* cognomen suum in *den Soden*.

8.) Quas nominant literae a *Leibnitio* in *Script. Rer. Brunsvic. Tom. II. p. 375. sed plenius et curatius ab S. R. Harenbergio* in *Hist. Eccl. Gandershem. Diss. III. Cap. II. N. III. p. 621. editae*, atque inde maximam partem in *Recent. Europ. Geographiam p. 556. et Schminckianam n. 6. laudatam dissertationem §. V. p. 26. seqq. translatae*, ad quas respexit *Cel. Butchingius* in *Geograph. Part. III. Tom. I. p. 991.*

9.) Vt ingenue fatetur idem *Schminckius §. I. seqq. p. 20. seqq. cui albus*

calculus adiiicitur in eadem illa *Geographia Europ. p. 556.*

10.) Quales vult *Ioannes Rhenanus* in *Bibl. Salin. castigatus eodem Schminckio §. III. p. 24. suffragante Geograph. Europ. p. 556. sub (\*)*. Illuc vero et inclinant *Winkelmannus* in *Descript. Hasf. Part. I. Cap. X. quo cum facit Gen. de Grasshof in Comment. de Origin. atque Antiquitat. Muhlhus. Thuring. Cap. I. §. III. p. 2. item Hartmannus* in *Hist. Hasf. Exerc. I. Th. XXXI. p. 15. adpellatus ab Aiermanno in Introduct. in Hist. Hasf. Sect. I. Cap. III. §. II. sub (\*) p. 50. secus sentiente Iungio de Iur. Salin. Cap. III. §. 3. p. 93. immo reiiciente modo nominata *Geographia Europ. sub (\*\*)*. Sed et *Conringio* doctenti, ista de *Werra*, vbi *Allendorfsium* adluit, intelligenda esse, adfertitur *Laurentius* in *Orig. Doring. Part. Special. p. 130.**

11.) Quod nec *Kirchmaierus* in *Diss. de Bello Proelioque de Salinis Catto inter et Hermunduros* suscepto olim §. XIII. adprobat.

12.) Quae iure suo mouit saepe laudatus *Schminckius §. III. p. 23.*

§. III. 1.) Cui adposuit *Geograph. Europ.*

iectae. Haec gaudet iam diu *Salinis*, 5.) quarum fontes sale gignendo perfecuti rapidi fluminis instar magno cum impetu horrifonoque strepitu pleno scaturire aluco ex imis visceribus terrae calce nitroque repletæ dicuntur. 6.) Sed num Cornelio 7.) quoque fontes *fluminis* instar scaturientes? Immo vero ei *ipsum* flumen *sale gignendo secundum sine instar*. Illud autem quam primum mihi in istis memoratis salinis *Francobusianis* 8.) monstraueris, tibi si cui 9.) unquam 10.) adfenserim, 11.) ex *Cattenburgo*, 12.) quod bis mille circiter passus olim a *Francobusa*, ut illius rudera 13.) testantur, fuit, si conditorum Cattorum gentis perinclitæ monumentum, 14.) tum *vi traxisse annem, in quo siluisque circumiacentibus sal proueniebat*. 15.) Hercyniam 16.) enim *siluam* etiam illuc Cartos profectum

Recent. Itiner. Lib. VII. Cap. V. p. 1010.

2.) Teste oculato et rerum patriæ fuit præter alia peritissimo, dum viueret, Muldenero in Histor. Gynaecii Francobusiani Ordinis Cisterciensis S. Georgii Part. I. Cap. I. §. II. p. 6. Huic debemus sine dubio, quæ in Buschingianæ Geograph. Part. III. Tom. III. p. 3081. legas.

3.) Quod nesciuit auctor Lex Hydrograph. Vniuers. German. p. 645.

4.) De qua apud istos binos geographos Buschingium et Geograph. Europ. qui forte non dum officio suo satis fecissent, nisi aliorum errores detexisset supra n. 2. laudatus Muldenerus §. I. qui patriæ suæ penetralia referauit, quam vix quisquam, quod patet ex meæ Farraginis cum maxime typis descriptæ Part. VI. N. III.

5.) Ut monstrauit idem Muldenerus l. c. §. VI. p. 10. seqq. quippe quem secuti sunt modo nominati. Ille id pluribus exsecutus est in peculiari Diss. de Cattenburgo.

6.) Eadem in Dissertatione §. V.

7.) In Annal. Lib. XIII. Cap. LVII. n. 7.

8.) Quibus istam Corneliani *sale gi-*

*gnendi secundi fluminis* gloriam conciliare, omnem adhibuit operam Muldenerus cum in Cattenburgo suo tum de Aedicula S. Wolfgangi Patrono Salinarum Francobusianarum §. I. atque de Coemeter. Francobusiano §. II. præeuntibus ab ipso nominatis Io. Hofinanno de Antiqua Francorum Domo et Turri et lac. Chaerico in Salzpostilla Or. II.

9.) Cuicumque superiori penso in scenam productum.

10.) Quod in medio reliquerunt Schoetgenius in Diss. de Hermunduris §. VI. in Spicileg. Diplom. Hist. Saxon. Super. Part. I. N. I. p. 9. atque Perill. Dreyhauptius de Pag. Neletici et Nudzici Part. Spec. Sect. II. Cap. II. §. II. p. 666.

11.) Quod non fecerit Zeillerus in Saxon. Infer. Topographia p. 115.

12.) Cuius causa multa argumenta summo studio conquisiuit Doctiss. Muldenerus in suo Cattenburgo in primis §. VI.

13.) Quæ in lucem posuit egregie Francobusianorum eheu decus Muldenerus.

14.) Qualia fuerint et alia sequenti §. monstrata.

15.) Ex indicio Taciti paullo ante n. 7. adpellati.

catum esse, 17.) non negauerim, 18.) Nec obeset, 19.) riuum exiguum ex salinarum *Francobusfanarum* scaturigine profluere. Nam neque *flumen* neque *amnis*, quorum vtrumque Cornelius 20.) in enarrando isto proelio adhibuit, copiam aquarum definit, 21.) Potest et *flumen* non magnum esse *conterminum*, 22.) quale illud *gignendo sale fecundum*.

## §. III.

Nihilo tamen minus in omnia alia discescit nuper aliquis, 1.) Recte notat, *flumen* hoc, quodcumque fuerit, vtrique genti *conterminum* fuisse. Quis vero iste *conterminus* fluuius fuerit, quodam modo ei videtur indicare Velleius Paterculus 2.) verbis: *a Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum HERMVNDVORVMque fines praeterfluit*, 3.) *Romanus cum signis perductus exercitus*. Quamquam autem hic *Semnones* 4.) celebrentur, non *Catti*; constare tamen adfirmat, illos vetustissimos nobilissimosque Sueuorum dici Tacito, 5.) Ita est; sed num eidem et *Catti*? 6.) Hos vero iste ita collocauit, 7.) vt in Sueuis non habeantur, quin vtramque gentem a se in vicem distinguat hisce: 8.) *Nunc de Sueuis dicendum est, quorum non vna vt Cattorum gens*. Si itaque haud nefas sit, Tacitum 9.) erroris insimulare, quod HERMVNDVROS et Cattos propter flumen

X x 3

16.) De quo Capituli huius III. Sect. I. Int. I. Part. II. §. VI.

17.) Vt vtar verbis eiusdem Taciti de Morib. et Sit. German. Cap. XXX. n. 1.

18.) Cum id probauit Muldenerus §. V.

19.) Quod obese videtur Weidlero in Disquis. de Natali Solo Legis Salicae §. XIII.

20.) Loco saepius indicato.

21.) Ceu liquido adparebit proximo N. II. Penf. I. §. VI. seqq.

22.) Quale illud eidem Cornelio.

§. III. 1.) Io. Henr. Iungius de Iure Salinarum Cap. III. §. 3. p. 95. seqq.

2.) Hist. Rom. Lib. II. Cap. CVI. n. 2.

3.) De quorum verborum fano intellectu egi supra Sect. I. Interf. I. Part. III. §. III.

4.) Quos propius inspeximus supra Sect. I. Interf. II. §. XVII.

5.) In German. Cap. XXXVIII. pr.

6.) Quales visi sunt Caesari de Bell. Gall. Libro potissimum III. Floro Epit. Rer. Rom. Lib. III. Cap. XII. n. 24. Senecae in Medea vs. 713. Pedoni Albino uano ad Liu. August. de Mort. Druf. v. 17. et 312. Quibus cum facere videtur Strabo *Γεωργεφ*. Lib. III. p. 296. vt iam obseruatum Cellario in Notit. Orb. Antiq. Lib. II. Cap. V. Sect. I. §. LIII. et nobis supra Cap. I. Sect. II. Int. I. Part. II. §. II.

7.) Si contendas eius German. Cap. XXX. cum XXXVIII.

8.) Ex Cap. XXXVIII. eiusdem libelli.

9.) Quem tamen iste Iungius paulo

flumen gignendo sale secundum pugnasse dixerit, omnino isti 10.) credibile est, Albim a Tacito fuisse designatum, quippe cui 11.) Albis in HERMVNDVRS oritur, vel ἐκ τῶν Ὠανδαλικῶν ὄρων. 12.) Nam Vandalorum nomine eo tempore censitos fuisse Bohemos et Moravos, est, qui scribit, 13.) quem ad modum Helmoildum 14.) recte diserat: *Oritur in profundissimo saltu Marahorum, qui sunt ab oriente Boemiae, ubi et Albia sortitur principium.* Haec bene conveniant 15.) cum Tacito, 16.) qui in *amne siluisque salem provenire* voluit. Iam vero fuerint et *silvae*, quae *Catris*, quos inter et HERMVNDVROS certatum magno proelio, dum flumen gignendo sale

ante p. 95. testem ἀυτόπην nominauerat. Quibus rationibus ductus illum ἀυτοπην velit, non expressit. Quibus tamen ducti fuerunt alii, si nosse cupias, eas in vnam tabellam coniecit Ditmarus peculiari Exercitatione de Fide C. Corn. Taciti in Rebus Germanorum, quae est Disertat. atque Exercitat. Partis posterioris II. §. III. feqq. easque solide discussit, vt iam quidem crediderim neminem fore, qui subscribat Althamero ad Tacit. German. Cap. I. n. 1. Cap. II. n. 2. Cap. VIII. n. 4. et Kirchmaiero ad posteriora, Albino in Chron. Misn. Terr. Tit. III. p. 33. Cluuerio in German. Antiq. Lib. I. Cap. I. Manlio de Lusatia Lib. I. Cap. XXVII. §. III. in Hofmanni Script. Rer. Lusat. Tom. I. p. 135. Reinesio in Syntagm. Inscript. Antiq. ad Cl. I. n. LIII. p. 103. et Epist. ad Bostium p. 307. Leibnitio in Intrad. in Collection. Scriptor. Histor. Brunsvic. Tom. I. praefixae n. I. Hertio in Notit. Vet. German. Pop. Part. I. Praef. §. III. Brechenmachero in Notit. Sueu. Antiq. §. II. in Wegelini Thes. Rer. Suevic. Vol. I. p. 6. Rothio de Chaucis Cap. II. §. I. in Anal. ad Duc. Brem. et Verden. Coll. I. p. 19. Meinderfio de Statu Relig. sub Carolo M. p. 120. Fabricio in Biblioth. Latin. Lib. II. Cap. XXI.

§. V. Funccio de Imminente L. L. Senectute Cap. VIII. §. LVIII. p. 571. feqq. Willichio, Beuthero, Vettero et Hauptmanno in Praefat. ad Taciti German. Gundlingio in Heumanni Conspect. Hist. Literar. Cap. III. Sect. I. §. CLXXXI. p. 1250. Scheidio in Praef. ad Eccardum de Origin. German. p. 32. Wustemanno de Reb. German. M. secundum Ptolemaeum §. V. Praetorio de Orig. Princip. Part. I. Cap. I. §. I. immo et Zichakwito in Antiq. German. Cap. I. §. II. in animaduersionibus p. 63. alias in Cornelianis ad suspicandum sagacissimo, cum tamen iam dudum ante auctor Teutonici Imperii Cap. I. §. V. p. 3. dubitauit, Tacitum fuisse Germaniae nostrae ἀυτόπην.

10.) Iungio n. I. adpellato.

11.) In Libello de Germania Cap. XXXI. n. 3.

12.) Quae sunt verba Dionis Casii Ἴσορ. Ῥωμαικ. Lib. LV. p. 548.

13.) Colerus ad Tacitum n. II. nominatum.

14.) In Chronico Sclavorum Lib. I. Cap. II. n. 3. in Leibnitii Script. Rer. Brunsvic. Tom. II. p. 539.

15.) Ex sententia Iuriconsultissimi Iungii saepius laudati.

16.) Annal. Lib. XIII. Cap. LVII. n. 7.



*sale fecundum et conterminum vi trahabant*, 17.) propiores 18.) ni in ipsorum terra. Sed et non dum omnibus conuenit, an *Albis* in HERMVNDVRS oriatur. 19.) Tandem non satis liquet, an auctor sententiae hac tenus prolatae *Semnones* malit cum Cornelianis *Cattis* permutari. Si illos; inter eos et HERMVNDVROS proelium istud fuerit. Si hos de gradu suo non deiecerit; docuerit, eos contigisse *Albim*, quippe quod illud *flumen gignendo sale fecundum* dicitur 20.) utriusque genti, cui *certatum* fuit tum *magno proelio, conterminum*. Eligat, quodcumque lubet; ipsum premet onus monstrandi *salinas* saltem ad *Albim*, 21.) ni, si quis vrgeat cetera Cornelii, aut *Albim* ipsum aut alterutrum vndecim, ex quot 22.) riuulis *Albim* constare sibi persuasit istius partis patronus, 23.) fuisse *flumen gignendo sale fecundum*, 24.)

## §. V.

Idem onus presferit, cui vereor ne succumbat, cui 1.) istud est riuus, quem accolae *Silefii laurauientes* et *Lignicenses Cattsbach* 2.) nominant. Nomen enim id ei natum fuisse, credit is a *Cattis*, quorum strages ista toties memorata 3.) hic fit edita, iisdemque *exitiosus, quia victores HERMVNDVRI diuersam aciem Marti ac Mercurio sacrare, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dederant*. HERMVNDVRI autem ad *Suderes* 4.) et *Albis*, qui *ἐξ ἐκ τῶν Οὐρανδαλιῶν ὄρων*, 5.) habitare existimantur. 6.) Ita vero quoque huc spectaret alius riuulus eiusdem nominis, qui 7.) ad moenia *Dresdae*

17.) Quibus verbis idem Tacitus modo nominatus vsus est.

18.) Si vel prioris §. memineras.

19.) Quam in rem multis diserui supra Interf. I. Part. I. §. V.

20.) Tacito paullo ante excitato.

21.) Quod praeuidit iam Doctisf. Iungius p. 96.

22.) Quo iure, videas, si tanti, huius Interf. Part. I. §. II.

23.) Modo n. 21. nominatus.

24.) Quod ego monstrauerim, si summum Numen adnuat, insequenti N. II. §. V. 1.) Est is Sommerus in Regn. Van-

nian. Cap. I. §. III. sub b p. 10.

2.) Cuius alueum descripserunt Hene-

lius in *Silefiograph. Cap. V. §. 12.*

p. 571. seqq. *Lucae* in *Memorab. Silef.*

Part. VII. Cap. III. N. 17. p. 2165. seqq.

D. in *Lex. Vniu. Hydrograph. German.*

p. 264. *Geogr. Recent. Europ. Itiner.*

Tom. I. Lib. III. Cap. I. §. III. p. 516.

vbi *Kasbach* pro *Rasbach* legendum.

3.) Ex *Taciti Annal. Lib. XIII. Cap. LVII. n. 7.*

4.) Quos cognoscas supra Sect. I. Interf. I. Part. I. §. III.

5.) Ex *indicio Dionis n. 12. ad §. superiorem.*

6.) Vt vel priori §. vidimus.

7.) Teste D. in *Lex. Vniu. Hydrograph. German. p. 140.*

Dresdae illius S. R. I. Nouemviri longe Serenissimi alterius meae patriae dilectissimae Albi se immiscet. Qualia qui sibi persuadere patitur, ei multo magis persuaderemus, vicum *Casendorfum* lapide vno distantem Culimbaco Bambergam versus *Cattis* acceptum ferendum, cum id maioribus 8.) *Cazendorf*. Ab eis enim id eodem iure petimus, quo *Cazenburg*, *Cazberg*, *Cazenelenbogen*, arcem *Caz* petierunt. 9.) Accedit, illud adhaerere monti praealto, qui a Magno nescio quo nomen est sortitus, in quo adhuc turris excelsa et valida, Haec vel vt alterum *Cattenburgum*. 10.) Vallem rigat amnis, qui se cum vehit arenam, vnde scaber tophus generatur, cuius frustum ego ipse ex rota molari decussi, quodque adhuc cum aliis eius generis me cum seruo. Num hoc *flumen Cattis et HERMVNDVRIS conterminum*? Num *sale gignendo fecundum*? Num saltem ad id *salinae*? Ridebis; et licet rideas.

Nos ad seria. Est enim, quod totos det retricae dies Mineruae, qui, qua cum maxime patet, emetietur humanarum literarum campum. Discite, Musarum Patroni, ab aliquot nostrum.

IOANNES NICOLAUS GOERING Curienfis carmine heroico Latino reddet rationes, ex quibus CHRISTIANI nominalia praesumimus.

IOANNES CHRISTIANVS PVTNER aequae nostras iisdem nominalibus, quae vel superiori mense in FRIDERICIANIS nuncupavit, nunc hisce sponte sua lubens vota soluet Latina prosa sub CHRISTIANO Principe degentium felicitatem adumbraturus.

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS SCHLEMMER Wunfidelienfis oratione Teutonum i. ad Corinth, Cap. XIII. a principio ductus anquiret, cur literis humanioribus non vsque quaque respondent, quos expectarunt, fructus, qui vt respondeant largissime, meretur eius Parens Vir Summe Reuerendus atque Eruditissimus Ioannes Nicolaus rei sacrae apud vicinos Reduicenses

8.) Ita scriptum fuit in literis Imperatoris Ludowici IIII. quas proxime legas a me curatius descriptas in Disfert, de huius Imperatoris cum Friderico Burgrauii Norimb. amicitia §. LIII. infera

Tom.V. Part.I. Anal.Societ. Scient.Boicae.  
9.) Melisantes in Thear. Nou. German. Urb. et Arc. N. CVIII. p. 299.  
Muldenerus in Cattenburgo §. VI.  
10.) De quo praecedente §.

censes Inspector Grauisimus, quippe qui ipse literis, quae ab  
 humanitate nomen nactae sunt, ad modum tinctus iisdem im-  
 buit inbuique curauit gnatum ex priori matrimonio natu maxi-  
 mum felicissimo ingenio praeditum, quod per triennium in  
 Curiano egregie excoluit exemplaria Graeca, Latina, Ebraica,  
 Gallica versans cum subacto iudicio diurna nocturnaue manu.  
 Erat igitur, qui superiori anno in sollennibus PARENTIS pa-  
 triae OPTIMI natalitiis *studia solidiora ad pacem omnium erga*  
*omnes* commendabat auditorum suffragio Marci sui sermone,  
 cum, quae Quinctilianus in suo tirone requirit, voce, vultu  
 et habitu corporis inardescerent adfectus. Fundamenta bene  
 sunt iacta, ex quibus furgat opus|academiarum praecipue Lip-  
 sientis doctoribus doctas manus adhibentibus Deo gratum, homi-  
 nibus acceptum, nobilissimae Schlemmerianae genti dulcissimum,  
 IOANNES CHRISTIANVS DIETERICH Neofanofaxo verna-  
 cula prosa i. ad Corinth. Cap. III. §. 12. submonitus, *plerorumque*  
*discenium viuendi faciendique consilia non referri ad iustum*  
*finem*, indolecet, cui ne is ipse indoleat, non metuimus, qui  
 sibi dictum putauit;

- - - Semira certe

Tranquillae per virtutem patet vnica vitae.

Is quippe quid obseruet, praeibat Pater Vir Plurimum Reueren-  
 dus, quem Diaconum vel vt limitaneum purioris coetus militem,  
 positus enim fuit ante vndeuginti annos in finibus Saxoniae Bo-  
 iohemiam versus, excubare impigerrime, res ipsa loquitur, quo  
 maxime refero, domo sua probare, quae publice praecipit,  
 fieri posse. Et si enim circumseptus est numerosa prole, cui  
 educandae vt sufficiat, ad exiguos reditus respiciens Pro-  
 borum Parentum par metuit; meo tamen meorumque exem-  
 plo docui, esse adhuc curae cordique Viris, qui in patria no-  
 bis communi rebus diuinis praesunt, succurrere succrescenti  
 suboli pauperiorum, vt in academiis, quarum celeberrimam a  
 Philyris cognominatam sibi elegit, exsequantur, quae in schola  
 bene coepta fuerunt, cuius cum maxime hic hac tenus nostrae  
 disciplinae alumnus industrius accipit testimonium suorum do-  
 ctorum publicum, nec tamen solum suorum doctorum, sed et  
 aliorum plurium, qui ipsi adfidentes audierunt *ex reddita*  
*Europae pace otium ad laudes diuinas celebrandas summo Numini*

Y y

feren-



ferentem acceptum in memoriam D. Lutheri anno MDCCCLXIII, et duobus annis post pactis inter se initis pacem confirmari documentis de Saxonia nobis carissima ex penu nostro subpeditatis exponentem tum Teutonice antea Latina, utraque soluta.

IOANNES HEINRICVS DANIEL RVDEL Bokwauiafaxo, quorum initium faciendi gratisimo de acceptis in alumneo Curiano per nouennium beneficiis animo occasionem praebuerunt superiori anno sollemnia athenaei nostri quondam inaugurati quot annis debita pietate peragenda, absoluet canere Germanice *laudes Curiae*, qui iam anno, quo ciuis primi ordinis renunciatus fuit, MDCCCLXIII, in memoriam D. Martini *prosa rationem et viam, qua in concilio Tridentino res tractabatur, aperuit*. Eius vero assiduitatem in literis atque cuiusuis commodo inferuendi promittitudinem testari me haud decet, quem a genitrice decem et octo annos iam sepulta arctissimo contingit gradu. Septuagenario tamen Parenti V. Pl. R. Ioanni Heinricho, quem in praemium diuturni laboris in vinea Domini, penes quos est, nuper rude donarunt, iidem adsint, qui huic ex quinque liberis, qui de nouem supersunt, penultimo ne quidem in schola, multo minus in academia Lipsiensi vel aliquos studiorum sumtus praestiterit. Eius vero spem concipio amplissimam debita pietate me cum recolens fauorem, quo in ista alma bonarum artium matre duodecim pene annos me fouerunt, vsque dum hoc ipso tempore, quo haec scribo, praeter omnem expectationem duo et triginta abhinc annis euocatus fui supra fines patriae, cuius ministerio permultos instituere adolescentes ex voto cesit diuina gratia adiuto.

IOANNES ALBERTVS ARNOLDVS Tepabarutinus officio *com-militonibus hinc discesfuris debito* Latine exposito *faustum iter acclamabit*, quod felix faustumque sit, carmine Germanico tertium prodiens.

*Antiqua tabula originem numerosissimae aequae ac maiorum gloria illustris Reizensteinianae gentis docens praebebit vera illius de, quo nobiles nostri ab ignobilibus se se distinguere amant, incunabula* Rectori ablegaturo istos in scholas Celeberrimorum Virorum ad munera sacra rite obeunda bene praeparandi causa, quibus nostro nomine fausta quaeque precabuntur, quod facere par est eorum cultori perpetuo.

Yb 4473

1078

ULB Halle

3


006 302 904



20







CVRIAM  
REGNITIANAM  
NON, NVLLO, IVRE  
HERMVNDVRORVM  
COGNOMINANDAM  
DISSERIT, XXXII

VT  
SERENISSIMO, PRINCIPI, AC, DOMINO  
DOMINO  
FRIDERICO. CHRISTIANO  
BRANDENBVRGI, MARGGRAFIO, DVCI, PRVSSIAE  
RELIQVA  
NVTRITORI, SVO, CLEMENTISSIMO  
DE DIE  
CHRISTIANO  
SACRO  
PROXIME REDITVRO  
QVA, PAR, EST, PIETATE, GRATVLANTIBVS  
QVORVM, QVOSDAM, RES, SVAE, CITIVS, HINC, AVOCANT  
A. D. III, CAL. MAIAS, CIOCCCLXVII  
BENEVOLE, ADSINT  
QVI, CVRIANO, BENE, VOLVNT  
PERQVAM, ROGAT  
PAVLLVS, DANIEL, LONGOLIVS

CVRIAE, REGNITIANAE  
LITERIS, IOANNIS, ANDREAE, HETSCHELII